

418 OBSERVAT. IN VITAM
expugnationem referant ad annum 772: tamen si multa Saxonum millia suscepto Paderborna baptismo anno 777 Christo nomen dedisse iidem tradant. Vide quæ notavi pag. 271. Vitium *Wichtrudi* viduæ per vim ab affine oblatum silentio preffit *Gobelinus* in *Vita S. Meinolphi*, quam rem retulit tamen in *Cosmodromio* etate 6 cap. 40.

Baduradus.] Cathedram Paderbornensem tenuit ab anno 815 usq; ad an. 851, uti ostensum est supra pag. 277. & seq.

Cap. 8. Cartam testamenti] Diploma appellat, quo *S. Meinolpho* facultas à *Ludovico Pio* concessa construendi monasterium : quam *Gobelinus*, in actis *MS. S. Meinulphi*, autumat impetratam *Aquisgranani* anno 816 in concilio provinciali, anno imperij *Ludovici Pij* tertio: quo statum seu ordinem *Canonicarum*, quæ *seculares* appellantur, tunc noviter statuerat. Quæ etiam habet in *Cosmodrom.* et. 6 cap. 41 lin. 50. Quamvis cap. 40 scripsisset, *Meinulphum* de bonis paternis monasterium *Monialium* seu *Canonicarum Regularium* in villa *Höddicken* *Paderbornensis* diocesis fundasse & dotasse, ut legitur in editione *Meibomij*. Nimirum *Patres Concilij Aquisgranensis*, monente *Ludovico Pio Imp.* anno imperij ejus tertio, ob animarum *sanctimonialium* canonicè degentium salutem, divinâ inspirante gratiâ, ex *SS. Patrum* auctoritatibus, constitutiones quasdam in unum congestas, communi voto communiq; consensu, *sanctimonialibus* tenendas observandasq; percensuerant. Inter alia, *Cap. 8.* præcipitur ijs, quæ se *castimonialis* nominis professione *Domino de-*
vinne-